

timat, contenditque etiam ex litteris acceptis civitatem illam ne quidem ab hostili exercitu cinctam esse, imo nullum militem ad eam pervenisse. Factum confirmat POLIANUS, negat vice sua LUCAS; producitur hinc et inde contentio et disputatio. Tandem contendentes ad sponsionem deveniunt, ut litem inter se exortam dirimant. « Spondeo, clamat POLIANUS, pro decem francis civitatem ab hostibus fuisse captam. — Et ego, reponit reboando LUCAS, spondeo illam ne cinctam quidem esse; et, nisi verum affirmavero, tibi quindecim francos erogabo. » Sponsione hac coram pluribus testibus facta, ad rei veritatem detegendam deuentum fuit; quid vero compertum est? Civitatem, tempore sponsionis factæ, fuisse quidem ab hostibus obsidione cinctam, nondum tamen devictam neque captam.

HINC :

QUÆR. *Quid sentiendum de sponsione, vel ad quid teneantur sponsores, cum neuter veritatem assecutus fuerit; seu, an uterque ad solvendum obligetur, aut nullus obligatione teneatur?*

SOLUTIO :

1018. — *R. ad Quæs.* Uterque in rigore juris tenetur solvere id quod alteri promisit: scilicet, prior tenetur decem francos, et posterior quindecim adversario erogare. Ratio hujus decisionis facile patet: etenim POLIANUS spopondit se perditum decem francos, nisi civitas jam esset ab hostibus capta, et LUCAS spopondit quindecim francos, si eadem civitas esset jam ab hostili exercitu circumdata; atqui, tempore sponsionis factæ, civitas illa fuit quidem ab hostibus circumdata, sed nondum capta: ergo uterque certans erravit; ergo uterque alteri id quod promisit solvere debet. Ergo POLIANUS LUCÆ decem francos, et LUCAS vice sua quindecim adversario tribuere debet. Ratio præcipua hujus decisionis ex hoc desumitur, quod omnis contractus conditionatus, adimpta conditione, transit in absolutum; atqui POLIANUS spopondit se daturum esse decem francos LUCÆ, si urbs prædicta non esset capta ab hostibus; et contrario LUCAS spopondit se daturum esse POLIANO quindecim francos, si eadem civitas foret saltem hostili obsidione cincta: ergo, cum tempore sponsionis hæc civitas fuerit quidem cincta nondum tamen capta, comperta rei veritate, promissio conditionata transit in absolutam; ergo quisque promissum suum adimplere debet. *Elbel, n. 638.*

1019. — Dixi: in rigore juris; nam secus dicendum foret, si talis sponsio non censeatur facta serio, sed joci causa prout in praxi sæpiissime fieri solet, præsertim inter amicos et familiares, qui advertendo nec unum nec alterum attigisse veritatem, totum contractum sponsionis cum risu solvere solent; aut si serio intenderant spondere, postea animadverentes se errasse a veritate, ita ut neuter eam attigerit, sponte cedunt, et obligationem sibi remittunt. *Elbel, n. 639.*

CASUS XIX.

SPONSIO 3°.

MIROCLES contendit cum MARIO se cursu velociorem esse. Vice sua, MARIUS asserit se victoriam esse consecuturum, si res probetur. Igitur sponsio hinc et inde committitur, et decem franci ex utraque parte victori promittuntur. Verum postea MIROCLES recusat experimentum facere. MARIUS proinde victoriae præmium reclamat; sed surdo canit. Negat MIROCLES illum jus ad lucrum habere, cum certamen commissum non fuerit.

HINC :

QUÆR. *An MIROCLES decem francos, aut saltem aliquid adversario solvere teneatur?*

SOLUTIO :

1020. *R. ad Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia, inito contractu, MIROCLES tenetur ad periculum subeundum, vel ad satisfaciendum MARIO, saltem secundum spem lucri quam habebat. Etenim MIROCLES non stat in contractu oneroso, cuius obligationem suscepit; quodnam enim fuit contractus objectum? Victoria cursu referenda. Porro qui contraxit cursu vincere, eo ipso promisit se cursurum

Attamen, cum spes lucri non tanti aestimari soleat a prudentibus quanti lucrum in re, satisfaciendum est *pro rata* spei duntaxat, juxta arbitrium viri prudentis. *Lacroix, l. 3, part. 2, n. 1071. — Elbel, n. 640. — Azor. — Bonacina, etc.*

CASUS XX.

DE LUDO 1°.

1° QUIRINUS, aleis ludendo cum LAZARO, sortem sibi adversam expertus est. Completo autem ludo, solvere pecuniam promissam abnuit, dicens se non habuisse intentionem aliquid solvendi. Igitur lis inter utrumque inducitur.

2° PIBERTUS ludo se committens cum OCTAVIO, filiofamilias *minori*, una die 20 francos amittit; altero vero die adversarium sollicitat ad ludum iterandum, et hac vice 40 fr. lucratus est.

HINC :

QUÆR. 1° *An QUIRINUS teneatur solvere pecuniam quam perdidit, licet animum solvendi non habuerit?*

2° *An PIBERTUS retinere possit lucrum quod percepit, cum OCTAVIO ludendo?*

SOLUTIO :

1021. — *R. ad 1^m Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia, licet QUIRINUS non habuerit intentionem se obligandi, solvere tamen tenetur vi contractus innominati, qui dicitur: *Do, ut des.* Etenim LAZARUS supponitur vere

voluisse pecuniam suam dare in casu quo superaretur; QUIRINUS vero non potuit pecuniam vel promissionem pecuniæ acceptare, nisi simul vellet rependere in casu quo vinceretur. Et revera, si QUIRINUS non habuit animum solvendi, decepit adversarium fraude utendo; *fraus autem nemini patrocinari debet*. Ergo tenetur solvere in pœnam simulationis; contractus enim ille est onerosus, et LAZARUS non censetur consensisse in ludum, nisi altera pars etiam consentiret. Itaque uterque debet eodem modo esse paratus ad amittendam rem ludo expositam. *Elbel, n. 636. — Lessius. — Sporer, etc.*

1022. — *R. ad 2^m Quæs.* 1^o PIBERTUS retinere potest 20 fr. primo die amissos. Ratio est, quis sicut pridie eos recuperare poterat ludum prosequendo, sic eos in novo ludo recuperatos retinere potest. Cum enim ex ipso PIBERTI consensu OCTAVIUS, filius familias, pecuniæ hujus dominium acquisiverit vi ludi, potest hic eadem ratione, vi novi ludi, pecuniæ lucretæ dominium in PIBERTUM transferre.

2^o Quod alios 20 fr., attendenda est qualitas illius filii familias. Si enim merito judicetur filium hunc ex præsumpto patris consensu habere hujus pecuniæ plenam dispositionem, PIBERTUS sane eam retinere potest. Si vero non levis adsit suspicio quod is pecuniæ excessus per furtum a paterna domo sublatus sit, vel contra justam voluntatem patris ludo exponatur tunc restituendus erit domino, seu patri, utpote res quam filius alienare non potuit. *Ita auctor anonym. casuum Bononiæ editorum.*

CASUS XXI.

DE LUDO 2^o.

LEOFRIDUS, lusui supra modum deditus, nuper haud exigua summa ludendo cum GERMANO perdidera. Altero die collusorem suum conveniens, ab eo petit ut ludum pridie cœptum continuaret, ut perditam pecuniam recuperare posset. Diu reluctavit GERMANUS; sed verbis asperis adversarii, necnon timore infamiae et notæ tenacitatis nimiae compulsus, tandem licet invitus admodum, consensit. Verum miser adeo adversam expertus est sortem, ut non solum pecuniam pridie acquisitam, sed insuper 100 aureos perdidet, non sine magno familiæ suæ detimento.

HINC :

- QUÆR. 1^o An, ludus ille fuerit validus, ita ut LEOFRIDUS 100 aureos in eo acquisitos servare queat?
- 2^o An GERMANUS eam pecuniam in conscientia solvere deberet, si non statim collusori tradidisset?
- 3^o Quid, si LEOFRIDUS minis gravibus GERMANUM ad ludendum impulisset?
- 4^o An sit validus ludus, si magna pecuniæ summa eadem vice exponatur?

SOLUTIO :

1023. — *R. ad 1^m Quæs.* Ludus ille validus videtur. Ratio est, quia,

licet GERMANUS aliquatenus invitus secunda vice luserit, moraliter tamen loquendo, liber remansit. Consuetudine enim receptum est, ut victus soleat adversarium enixe sollicitare ad ludum iterandum, etiam ignaviam objiciendo, si primum non consentiat. Sed in his metus gravis incuti non censetur. Ergo GERMANUS libertate morali non fuit destitutus. Ergo ludus censetur validus; ergo LEOFRIDUS lucrum ex ludo perceptum absque in-justitia retinere potest. *S. Lig. n. 880.*

1024. — *R. ad 2^m Quæs.* GERMANUS victus tenetur in conscientia solvere pecuniam in ludo perditam. Ratio fluit ex modo dictis. Etenim, LEOFRIDUS, provocando adversarium ad ludum iterandum, injuriam, saltem gravem, non ei fecit, licet invitus luserit, sicut invitus ludit ille qui importunis precibus sollicitatur ad ludendum, et nihilominus solvere debet. Ergo, si GERMANUS non adhuc solvit, nihilominus solvere debet.

1025. — *R. ad 3^m Quæs.* Nec teneretur solvere. Etenim, si victus, minis gravibus, fraude aut conviciis graviter probrosis ad ludendum coactus fuerit, non tenetur ad solvendum id quod perdidit, quia ludus ille est invalidus. Proinde injustus coactor lucrum illud accipere vel retinere non potest. Etenim cogens injuriam alteri intulit; ergo eam reparare debet, quod facere nequit, nisi lucrum recusat, vel restituat.

Objicies : 1^o Metus gravis, juxta communiorem sententiam, contractum onerosum non invalidat; atqui ludus est contractus onerosus. Ergo victor in ludo, probabiliter saltem, a restitutione excusandus est, licet metu gravi alium ad ludendum induixerit.

R. Quamvis ludus sit contractus onerosus, ab aliis omnino dissimilis est : 1^o quia nullus contractus majori indiget libertate quam ludus, ex natura ad animi relaxationem institutus; 2^o quia in aliis contractibus compensatio semper datur in pretio justo, vel in æquivalenti; dum ludens metu coactus et perdens, omni prorsus compensatione, et proin omni solatio destituitur. *Pontas, verbo Jeu, cas. 8, post S. Thom.*

Objicies : 2^o Si quis ad ludendum coactus, quantumvis injuste, aliquid lucretur, illud juste servare potest; ergo a pari, solvere debet id quod perdidit : nam ludentium conditio par esse debet ac obligatio.

R. Neg. conseq. et paritatem, quia ludus ex parte coacti est justus, hic enim nullam injuriam infert alteri, neque ludendo, neque lucrando : e contrario, ex parte cogentis adversarii, ludus est injustus, cum injuria gravis ab illo in socium inferatur. Quando autem dicitur quod ludentium par esse debet conditio, id intelligendum est de paritate in legibus servandis, et jure lucrandi vel perdendi; et hoc currit quando uterque voluntarie et sponte ludit, non vero de casu ubi unus voluntarie, et alter injuste coactus ludit. *Elbel, n. 632 et seq. — Lacroix. — Lessius.*

1026. — *R. ad 4^m Quæs.* Affirm. per se, probabilius, quia ludentes æque periculum scientes et volentes subeunt. Sed talis ludus, si non sit contra justitiam, honestati saltem repugnat. *Negant* tamen plures esse validum hujusmodi ludum, quia ob prodigalitatem, et alia incommoda quæ inde sequuntur, bonis moribus repugnat, ideoque juri naturæ aduersatur. *V. Comp. n. 949.*

CASUS XXII.

DE LUDO 3°.

LUCAS, ludendi cupidissimus, sed mediocriter tantum in arte ludendi industrios, SILVIUM quem noverat peritissimum rogavit ut secum ludere vellet, notabili pecunia hinc et inde exposita. Hic vero assentire noluit, illicitum et probrosum reputans quæstum in tam dispari discrimine habitum. « Si autem animos recreare juvat, ait, ludamus, amice, unico victoriæ præmio proposito honore, vel ludamus sacris precibus a victo victori applicandis. » Verum non acquiescente LUCA, imo magis ac magis urgente, tandem ejus votis obtemperavit SILVIUS. Lusit itaque, primum rebus sibi faustissime succendentibus. At postea ludendi tædio affectus, adeo inattentum se exhibuit, ut in punctis numerandis sæpius deficeret, et sic socio commodum inscius tribueret. LUCAS, re tacitus considerata, dissimulavit. Quare factum est ut, adversarium superando, multam pecuniam ab ipso obtineret.

HINC :

- QUÆR. 1º An nefas sit ludere sacris precibus *pro victore applicandis*?
 2º An SILVIUS, in dispari certamine, potuerit suam facere pecuniam quam lucratius est, attentis quæ in casu?
 3º An LUCAS injuste egerit errores adversarii in punctis numerandis dissimulando, et an proinde restituere teneatur?

SOLUTIO :

1027. — R. ad 1º Quæs. Minime gentium. Attamen pusilli plures id prohibent, quia, aiunt, res sacræ non sunt ludis admiscendæ. Ad eorum ratiunculam respondetur : Est modus in rebus..., seu *res piaz non sunt ludis admiscendæ cum eorum contemptu, conc.; secus, neg.* Atqui nullo contemptu afficiuntur preces quæ, perfecto ludo, a victis pro victoribus pie persolvuntur; ergo inaniter pusilli inde scandalum accipiunt. Utinam alius abusus in ludo non irreperet unquam! S. Lig. n. 882.

1028. — R. ad 2º Quæs. *Affirm.* Ratio est, quia, licet ordinarie ille qui est in ludo peritissimus ludere nequeat cum imperito, ob æqualitatis defectum, attamen in casu nostro minime inquietandus est SYLVIUS, eo quod ab initio ludo obstitit, allegata disparitate, et proinde sufficienter adversarium præmonuit. Si igitur hic pertinaciter prælium committere voluerit, damnum subsequens sibi tribuere debet, quia minime deceptus fuit. Antoine, de Contr. c. 11, etc.

1029. — R. ad 3º Quæs. *Negative.* Ratio est, quia quisque suas partes agere tantum tenetur; proinde ludens qui advertit adversarium suum errare in calculandis, vel numerandis signis, culpa vacat, si eum non moneat, siquidem nullam fraudem in hoc admittit, nec socium decipit, sed hic, ipse sua negligentia, vel distractione decipitur. Igitur detrimentum illud in pœnam suæ negligentiae subire debet. Hoc insuper consuetudine communis

receptum videtur. Lacroix, n. 1084. — Elbel, n. 624, etc. — Cæterum attende ad speciale loci tui consuetudinem.

CASUS XXIII.

DE LUDO 4°.

Pro puncto MARTINUS asinum perdidit.

MARTINUS, rusticus, minime stolidus, asino insidens, in civitatem venit, ad negotia quædam peragenda. Cum in hospitium divertisset, ibi reperit alios peregrinos ludo incumbentes. A BERNARDO rogatus ut secum colluderet, libenter annuit, sciens se in arte ludendi non imperitum esse. Primum quidem res ei succedit; sed subinde sortem adeo adversam expertus est ut pecuniam suam totam amitteret. Quid igitur faciet miser? Spe motus recuperandæ pecuniæ, statuit ludum prosequi. Cum autem nihil aliud præter asinum haberet, ipsum ludo exponit. Acerrime dimicant hinc et inde lusores, sorte æqualiter utrique favente. Certaminis exitum attenti exspectant circumstantes. Ecce ultima vice prodeunt chartæ! Sed heu! mox advertit MARTINUS lugens se ab adversario *ex uno puncto* superatum esse, adeoque in his adjunctis applicatum fuisse adagium : *Pro uno puncto MARTINUS asinum perdidit. (Pour un point MARTIN perdit son âne.)* — Itaque pedester et tristis domum repetit, lamenta uxoris auditurus!

Verum, quænam difficultas in casu? nulla foret, nisi BERNARDUS inter ludendum, dum MARTINUS negligens esset in celandis chartis, semel eas furtim conspexisset.

HINC :

- QUÆR. 1º An BERNARDUS ad asinum restituendum teneatur?
 2º Ad quid teneretur, si, supposita cognitione chartarum fraudulenta, dubitet an victoria ex fraude provenerit?

SOLUTIO :

1030. — R. ad 1º Quæs. Neg., si adverterit ad chartas adversarii ex mera ejus negligentia, et non didicerit antea eas cognoscere, nec ullo signo eas notaverit. Ratio est, quia hæc chartarum inspectio et cognitio, sine malis artibus parta, non habetur ut fraus, sed ut industria, communis ludentium usu approbata; adeoque hæc contractum non vitiant. Idem dicendum est, si ludens chartas alterius discat nosse a tergo inter ludendum, quas ante non signarat, nec noverat. Secus vero si ita se collocet ut eas videre possit, vel si aliquem constitutat a quo admoneatur. Lugo, — Sanchez, — Busembaum, apud S. Lig. n. 882. — Et Hom. ap. tr. 10, n. 216, ubi sic ait : « Si lusor fraudibus injustis uititur, v. g. signis notando chartas, aut mutando talos, etc., debet restituere lucrum, et etiam quanti valebat alteri spes lucrandi. Dictum est *fraudibus injustis*; nam licet uti iis astutiis quas regulæ lusus et consuetudo ferunt, ut aspicere chartas quas alter ex sua negligentia conspici facit, aut si dignoscat chartas, quæ exterius ob aliquod casuale signum ex se ipsis dignosci possunt. »

1031. — *R. ad 2^m Quæs.* In hac hypothesi victor non posset totum lucrum retinere, neque teneretur totum restituere, sed partem adversario tribuere deberet *pro rata* spei quam habuisset ille victoram obtainendi; seu ei dare debet tantum quanti valebat spes victoriae, quam ille, cessante fraude, habuisset. Spes enim illa, qua victus per fraudem privatus est, aliquo pretio digna erat. *S. Lig. n. 882.*

CASUS XXIV.

DE LUDO 5^o:*Astus astu captus.*

ALBINUS, imberbis, e Vasconia oriundus, Lutetiam petierat, pinguem avunculi hæreditatem collecturus. Hospitium quoddam simul ac tres Græci, ingreditur. Isti inter confabulandum, cognita ejus itineris causa, ipsius inhiant hæreditati, et, initio inter se consilio, modum excogitant quo inter hæredes adnumerari valeant. Cum in arte ludendi essent peritissimi, ALBINUM ad istud oblectamenti genus inducunt. Annuit quidem ipse, fide bona, nullam fraudem in viris ignotis suspicatus; sed, urgente negotio quodam, eos rogavit ut ad aliud tempus ludus remitteretur. Græci priores in locum statutum convenerunt, parati ad imberbem juvenem comiter accipiendum, ut subinde illum suis retibus capiant. Itaque inter se statuunt ut a ludi exordio sinant eum 100 aureos lucrari, ut sic ludo adhæreat, et contra adversam sortem erigatur. Hujusmodi consilium sane plenam efficaciam fuisset sortitum, nisi Vasco qui, in seculis sociis, jam advenerat, rem totam e vicino cubiculo comperisset: quamobrem et ipse solus secum initivit consilium, et, mora aliqua protracta, Græcos adiens, cum eis ludi sortem tentat, et brevi tempore 100 aureos lucratur. Tunc ecce a famulo suo, rite edocto, ad aliquid breve negotium advocatur. Surgens ociosus Vasco: « Hic exspectate, ait sociis, dum rediero. » Egressus autem foras, aliud hospitium petiit.

HINC :

QUÆR. 1^o An ALBINUS injuste in ludo egerit?2^o An Græci lucrum justum fecissent, si Vasco, ludum protrahens, magnam pecuniam summam perdidisset?

SOLUTIO :

1032. — *R. ad 1^m Quæs.* Accedamus ad casum ALBINI solvendum. Quid igitur de imberbi Vascone sentiendum? Si calliditatis lauream, cum ipsis Græcis decertando, retulerit, nonne fraudis turpitudinem et poenam etiam reportabit? Nequaquam. Lubens ego callido adolescenti patrocinabor. Quidni tu quoque? Quare enim inquietandus foret, plane non video. Si injuste egit, id fecit, vel 100 aureos lucrando et retinendo, vel e ludo recedendo. Atqui neutrum dici potest: 1^o Non fuit injustus lucrum faciendo; leges enim justitiae inter ludendum omnino servavit, seclusa prorsus omni fraude. Neque inviti fuerunt adversarii, imo libentissime

pecuniam suam ipsi tribuerunt. Ergo nihil defuit ad legitimam dominii translationem. Ergo ALBINUS juste lucrum illud suum fecit. 2^o Neque fuit injustus e ludo discedendo, nullo enim pacto ad ludum prosequendum adstringebatur. Ergo jure suo usus est. Ergo deceptionem suam Græci sibi tantum imputare debent. — *Dices: Fraus sua nemini debet patrocinari;* atqui ALBINUS fraudulenter egit, siquidem id quod futurum eset cognovit. — *Dist. Casu* cognovit, conc.; *fraude*, neg. Licet autem uti notitia, naturaliter, sine fraude cognita; ergo jure suo usus est. Ergo non est inquietandus; ergo Græci justam poenam malitiaæ suæ consecuti sunt.

1033. — *R. ad 2^m Quæs. Neg.* cum sententia communi, contra nonnullos. Ratio est, quia in hoc ludo defuissest æqualitas inter ludentes ex æquitate naturali requisita, cum Græci multo peritiores in arte ludendi juvēne Vascone fuerint, et de victoria futura moralem certitudinem habuerint. Etenim, in hoc contractu vere *oneroso*, emitur spes lucrandi periculo perdendi; ideo requiritur æqualitas inter spem et periculum. Excipliunt plures *probabiliter* cum *Lacroix, l. 3, part. 2, n. 1069*, si ludens sciat adversarium esse multo peritorem, et nihilominus se committere velit cum illo, quia *scienti et volenti non fit injuria*. Igitur, si iste vincitur, damnum suæ temeritati tribuere debet. Quamdiu vero singuli ludentes ignorant excessum notabilem peritiae adversarii, lucrum est justum, etiam in peritiore, quia uterque tunc se exponit periculo perdendi, et sic contractus est ex utraque parte æqualis. *Antoine, de Contr. c. 11.*

In nostro autem casu Græci sunt in ludo versatissimi et se committunt cum juvēne, astuto quidem, sed in arte ludendi imperito: ergo de futura victoria sunt moraliter certi; ergo deest æqualitas inter ludentes requisita: ergo, in hac hypothesi, Græci injustitiae in materia gravi rei forent; ergo ad restitutionem tenerentur.